

tris, Verbi & Spiritus sancti non habentur in emendationibus & antiquioribus Græcis Codicibus nec Syriaca editione, nec etiam in antiquissimis Latinis exemplaribus. Enjed. explic. Locorum. Merito hunc locum inter suspectos numerari nemo nisi impudentissimus & indoctissimus negaverit &c. nihil ergo momenti & roboris vel ad confirmandum vel ad confutandum habet. Goslavus contra Keck. p. 1. c. 4. p. 52. Locus hic nullum habet robur ad dogmata fidei probanda vel improbanda, idque propterea quod ipse locus veniat in controversiam, nam cui dubium est, dubia dubiis fidem facere non posse? Schmalzius contra Schopperum de Trinit. pag. 16. Locum hunc à Sciolo quodam assutum fuisse scribit. Idem in refutat. disput. D. Frantz, pag. 6. adducens dictum illud de tribus in cælo testibus, per Parenthesin addit, si modo testimonium illud non est corruptum. Catech. Racov. pag. 47. posse aliquid ex hoc loco concludi, cum non extet in vetustioribus exemplaribus Græcis nec Latinis nec in Syriaca paraphrasi, &c.

ii. Ex Pontificiis locum hunc dubium & suspectum De eo dubitant esse statuunt Erasmus Leonis X. dilectus filius, & eum sebitant cutus Cajetanus. Sic enim scribit Erasmus in annotat. i. quidam Joh. 5. pag. 768. In Græco Codice tantum hoc reperio, tres sunt, Pontificis. qui testificantur, Spiritus, aqua & sanguis. Et postea. Cum constet & apud Græcos & apud Latinos olim varesse lectionem, nihil hoc telum adversus Arianos valebit. In Apolog. versionis suæ prolixè contendit locum hunc esse dubium & suspectum. Salmeron. disput. 30. tom. 16. p. 307. de eo sic scribit. Erasmus Græcos Codices, qui inter se variabant, sequens, neglecta Hieronymi autoritate, hac verba omisit. Postea tamen facti pœnitens restituit in alia editione ex Codice Britannico, cum urgeretur a Catholicis. Idem tamen ad vomitum rediens contendit se male restituisse. Quod Erasmus facti pœnituisse Salmeron asserit, id patet tum ex editionibus anno 1522. & anno 1541. in quibus versiculum illum prius à se omissum textui inseruit, tum ex ejus paraphrasi in I. Johan. 5. Tres sunt in cælo, qui testimonium perhibent Christo, Pater, Sermo & Spiritus. Pater, qui semel atque iterum voce cælitus emissam testatus est, hunc esse Filium